



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Apostoli.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A etiam usum recipiant. D. Augustinus Aquilam ait senio gravatam rostri immodice crescentis ad- uncitate eo redigi, quod paulo ante dicebamus, ut nec os aperire, nec cibum ullo pacto capere pos- sit: impulsam itaq; naturæ vi, collidere rostrum ad petram, cujus attritu excussa ea parte, quæ redun- dabat, ad cibum redire, atque ita ex eo senio reparari, ut omnino juvenescere videatur. Nostri pe- tram loco hoc Christum intelligunt, proque rostro adunco, pravitatis perversitatisque opera, quod Physiognomici ejus figuræ nasum, uti superius dictum, iracundiæ & rapacitatis indicium esse vo- lunt, hujusmodique homines avâros plurimum alieni appetentes, & ultionis studiosos inveniri. Vitia vero hæc non alia excuti ratione, quam per Christi disciplinam queunt, atque ita pro juven- tutis renovatione animi depurationem intelligunt. Corpus enim nostrum ab adolescentia pergit in senium: verum anima sapientis, pii probatique viri, à senectâ in adolescentiam transmittitur, atque ita homo hic exterior flaccescit, & deficit indies, interior vero eo magis vigescit ac renova- tur, quo diutius in justis honestisque meditatione exercitioque vitam degit. Tale aliquid apud Pla- tonem invenias, dicente Socrate, *Tunc sanæ mentis oculus acute cernere incipit, cum corporis oculus incipit hebescere.*

APOSTOLI. CAP. XVII.

Quod vero legitur in Evangelio Matthæi, *Ubi fuerit cadaver, illic & Aquila congregabuntur*: per *Aquila* cadaver, Adamantium Dominicæ passionis mysterium interpretatur: per Aquilas, Apostolos, *Apostoli.* de quibus etiam dixerit Esaias: *Assument pennas sicut Aquila, & current, & non lassabuntur, & ibunt, & cap. 40. 31.* non esurient: sive ut alii legunt, *Current, & non labombunt, iter facient, & non lassabuntur.* Huic inter- pretationi ad stipulatur etiâ Eucherius, qui loco hoc Evangelico pro Aquilis, sanctas animas accipi tradit, & Salomonicum illud, *Via Aquila in calum, de Christi ascensu intelligi debere contendit.* Quod si ad eruditionem hanc profana etiam adjungere liceat, Antipatri memorabile fertur epigramma, si- ve illud Speusippi fuerit, in Platonis sepulchrum, quem ut divinum antiquitas univèrsa venerata est, cujus ille animam ad sepulchrum è cœlo allapsam in Aquilæ speciem agnoscit:

*Δις τὴν πηλὴν βέτηκας ὑπερὶ τοῦ θεοῦ ἢ τινός, εἶπὲς
Ἀστέρην ἔσθ' ἰσοῖς οἶκον δασσοκοπέτης;
Ψυχῆς ἐμὴ Πλάτωνος, δασσοπαιμένης ἐν Ὀλύμπῳ
Εἰκάν, σῶμα δ' ἔζη γηγενὲς ἀρβίς ἔχει.
Cur, Aquila, ad tumulum hunc volitas? dic: nunquid ab astris
Hic habitare Deum forte aliquem intuita es?
Imo anima extincti sum diva Platonis, Olympum
Quæ colo, sed corpus terrigenum Attica habet.*

*Epigramma
in Platonis
sepulchrum
à D. Laertio
in Platone*

INGENIUM VELOX. CAP. XVIII.

Pindarus cum aliis plerisque locis, tum præcipue Nemeis, ingenii promptitudinem & velocitatem per Aquilam ostendit, sumpta ab eo comparatione, quod prædam etiam valde procul distantem mira pernicitate nanciscatur, visuque ita polleat, ut profundissima quæque prospectet, quæ omnia ingeniorum acumini sunt accommodata. Idem cum Bachilidis & æmulorum suorum gloriam elevat, Corvos illos, se unum Aquilam jaciat, quod promptissimo ingenio nihil non concipiat quantumlibet arduum, & à terra marique remotum, mox & styli velocitate quæcunque conceperit assequatur. Ad hujusmodi rerum amplitudinem alludere mihi videtur Aristophanes Avibus, cum Atheniensibus aut adulatoribus, aut eorum spes inanes elusus, ait, *αἰσπὸς ἐν νεφέλῃσι γρηῃσσαι.* Nimirum enim oraculum acceperat Athenienses, fore ut tanto urbes reliquas possit se intervallo relinquerent, quanto Aquila reliquas aves volatu superat. Et Sosithei dictum illud celebre super vi ejus impetuosa:

*Εἰς μυρίαὶ ὄρνιθες αἰσπὸς σέβει.
Una Aquila innumerat exagitat aves.*

*Aquila in
nubibus
oritur.*

NILUS. CAP. XIX.

Atque Aquila hac quidem de causa Nili fluminis hieroglyphicum in sacris Ægyptiorum literis habita: quoniam enim Nilum perniciter currere, tantaque profunditate insurgere, observatum est

Gg

est